



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

XII. JANI COLONIÆ. CAP. XVI.

Quod vero XII. Jani simulacro adsculpi solitæ sint, sunt qui ob id factum putent, quod Janus pomceria & aras duodecim Hetruriæ coloniis sacrasset. Alii aras illas XII. ad mensium numerum dedicatas ajunt, quod Janus pro anni tempore sit Romanorum religione pingi solitus. Nam de cccclv. diebus, quos gestu manuum referre, alibi disternimus.


TERRA. CAP. XVII.

Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius Romanorum Rex consecrasse fertur: quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit. Eam ad pilæ formam esse, ut (sui simili templo Dea coheretur. Pro eorum vero sententia, qui per Vestam nil aliud quam puram flammam intelligebant, de strogilari lapide, qui Deam figuræ similitudine referret, alibi diximus.

A Plutar. Decad. 8. probl. Sympos. additq. mensæ antiquorum rotundæ Vestæ dicitur.

MUNDUS. CAP. XVIII.

Et mundo ædem veteres ea, qua conspicitur forma, posuerunt, Mundumq; eam appellavere, ab eo mundo, inquit Cato in commentariis Juris civilis, quem Festus citat, qui supra & infra nos est. Ejus inferiorem partem veluti Diis manibus consecratam clausam omni tempore custodiebant, neque nisi ter in anno patefaciebant, ut ait Atteius Capito, quippe diebus his, profridie Volcanalia, & ante diem sextum Idus Novembris, & ante diem tertium Non. Octobris: quos dies, ait Festus, etiam religiosos judicaverunt: propterea quod eo tempore, quæ occulta & abdita religionis deorum Manium essent, veluti in lucem adducerentur, & nihil eo tempore in Republ. geri voluere. Itaque per eos dies non cum hoste manus conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in Republica, nisi quod ultima necessitas admittebat, administrabatur. Volcanalia autem antiqua monumenta in Circo Flaminio x. Cal. Sept. celebrare solita comperimus. In aliis, Fer. Volca. n. x. Calend. Junias. Ibi que n. litera diem nefastum notat, apud Ovidium Tubilustria Volcano xiii. Calend. Jun.



Volcanalis

DIÏ OMNES. CAP. XIX.

Omibus vero Diis, Agrippa templum rotundo ambitu Romæ dedicavit, eaque de causa Pantheon appellavit: in quod quidem minus quam in alia veterum monumenta sæviit ipsa vetustatis injuria: idque nunc Virgini Deiparæ dedicatum, magno mortalium concursu invisitur, & ab ea, qua factum est forma nomen habet. Sane Augustus Cæsar, qui templum id excitavit, licet Agrippæ inscribi dedicatione ipsa voluerit, nulla commodiori forma deos omnes complecti poterat, quam orbiculari: de qua quoniam alibi dicturi sumus, ulterius nunc de figura hujusmodi loqui superfedebimus: si tamen id dixerò, Aristotelis dictum esse, veteres gavisos diis templa rotunda specie dedicare, cuiusmodi sane multa Romæ superesse adhuc, vel magna ex parte diruta, vel nostræ pietatis diis instaurata conspeximus.

Pantheon Romæ templum hodie la Rotonda.

JANUS. CAP. XX.

Ano contra templa quadrata specie dedicari solita, quatuor quippe pilis, quæ totidem fornicibus jungerentur, perviosque à frontibus quatuor aditus patefacerentur, qui tamen in primario Jani templo Iosemni sacro pacis tempore clauderentur.

MENSARII. CAP. XXI.

Erant autem & alii Jani, in quibus trapezitarum mensæ, ubi mercatorum conventus, & omnium, quæ ad rem pecuniariam pertinent negotia tractabant: de quibus Horatius:

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,

Epist. lib. 1. epist. 24.

Virtus